DE SANCTI SPIRITUS ADVENTU.

ORATIO

HABITA IN SACELLO PONTIFICIO

Ad Sanctissimum Dominum Nostrum

CLEMENTEM XII.

PONTIFICEM MAXIMUM

A THOMA ODESCALCO

Seminarii Romani Convictore

ANNO MDCCXXXI.





ROMÆ, MDCCXXXI. Typis Antonii de Rubeis in via Sem. Romani.

SUPERIORUM PERMISSU.

CLEMENTI XII.
PONTIFICI MAXIMO.

THOMAS ODESCALCUS
FELICITATEM.



UAMQUAM *solemni, consuetâque celebritate Divini Spiritus adventum recolit Christianus Orbis, si tamen jucundissimam voluptatem, quæ in omnium vultu se prodit,* BEATISSIME PATER, *animadvertas, communis lætitiæ partem, & causam Te esse maximam intelliges. Præstantissimi enim Beneficii nos admonet lætissimus iste dies, cum peculiari colimus Religione Divinum Spiritum, quo videlicet Auctore Pontifex Ecclesiæ concessus*

es. Cujus quidem Beneficii tantus existit fructus, ut planè cognoverimus, cur tàm diuturnas esse Christiani Populi preces passus sit beneficentissimus ille Spiritus, cujus tàm facilis est in homines, tamque profusa liberalitas. Eximiam scilicet Ecclesiæ suæ Pastorem cum destinasset, veritus quodammodò est, ne in conferendo Beneficio celeritas ejusdem pretium minuere videretur. Atque nos quidem ipsi magnum aliquid animo augurabamur, ac longam expectationem meritò solabamur; neque enim tot precibus, nisi præclarum quoddam, atque excelsum bonum debuit obtineri. Tantus enim vero, Te Pontifice renunciato; perpetuis, atque amplissimis Divini Spiritus in Ecclesiam suam muneribus accessit cumulus, ut quod publico, privatoque ejusdem commodo postulamus, per Te facilè nos consequi posse speremus, cum in Te uno summa rerum sit constituta. Hæc cum dico, Orationem istam, quam in amplissimo, gravissimoque totius Orbis consessu nuperrimè habui, ità ad Te pertinere intelligis, BEATISSIME PONTIFEX, *ut nihil tibi magis deberi putes. Atque ità fiet, ut non ego audacter fecisse videar, qui illam ad Te deferri, tibique dicari voluerim, cùm id jure ipsa suo quodammodo postularet, & maximum ego illi splendorem accedere ex eo intelligerem, quod tuum nomen, ac patrocinium præseferat.*

ORA-



ORATIO.



MMISSUM è Cœlo Divinum Spiritum Ecclesiæ tunc recens institutæ meritò gratulamur; Invideremus injuriâ: Neque enim ut sublata ex oculis Apostolorum species ignis celeriter fuit, ita sese ab Ecclesia subripuisse Divinum Spiritum quisquam crediderit. Fovet illa etiamnum, alitque Ecclesiam, & qui nascenti vitalem impertivit calorem, rudemque finxit, atque formavit, idem confirmatam jam, adultamque nutrit: Ut immissi Divini Spiritus beneficium, non breve illud, & fugax, sed constans, atque perpetuum fuerit. Paracletum igitur hæreditario quasi jure à Christo relictum Ec-

clesiæ,

clesiæ, cui peculiari quadam ratione continenter adsit, ità mihi posse videor confirmare, ut nihil illi utilius, præclariusque accidisse nemo non intelligat.

Etenim cum alia multa, tum illud præcipuè humana inter, ac Divina Beneficia discriminis intercedit, ut fluxa sint illa, & caduca; pleraque hæc diuturna, atque perpetua. Atque ut de hac rerum Universitate sileam, in qua nihil, quod ad usum, nihil quod ad delicias, ornatumque pertineat tot annorum spatio excidit, ac defecit, sensus profectò illos Cœlestes, quibus ad pietatem excitamur, totó vitæ cursu experimur. Quæ sanè beneficia cum diuturna Deus esse voluerit, an maximum illud, quod immisso Divino Spiritu collatum est in Ecclesiam, minùs absolutum, perfectumque beneficium fuisse quisquam arbitretur; præsertim cum non ad privatam, sed ad publicam Universæ Ecclesiæ utilitatem pertineat? Reparator profectò noster Sanctissimus, cum semel ad homines descendisset, nunquam deinceps præsentiæ suæ desiderio laborare Ecclesiam passus est; Verùm sese nobiscum: *Usque ad consumationem sæculi* fore confirmavit. Id autem Divino quoque Spiritui constitutum, cum in orbem dilaberetur, esse Ecclesiæ pericula postulabant, quam Tyrannorum violentia, Hæresum doli, fraudesque ita erant jactaturæ, ut nulla prorsus naufragii evitandi spes esset, nisi opportuno flatu irruentem in scopulos Divinus Spiritus avertisset, offusamque illi noctem ignis sui luce oblata dissolvisset. Jam si quæ consequi Divini Spiritus præsentiam debent, animadvertamus,

Matt. 28.

mus, illum adhuc apud nos esse, perpetuòque
mansurum palam profectò fiet. Quæ enim de Pa-
racleto pollicitus Christus est: *Ille testimonium* Jo. 15.
perhibebit de me; Et rursùs, *Docebit vos omnem* Jo. 16.
veritatem, ea perfici abundè conspicimus. Extre-
mas nimirùm orbis Regiones Divino Spiritu procu-
rante pervasit Religio, Templa Christo excitari,
arasque erigi jussit, Nationesque ad ejus veneratio-
nem penè universas traduxit. Quod si in iis, quæ
aut credenda, aut agenda proponuntur, aliqua cui-
quam dubitatio injiciatur, Religionis hoc domici-
lium, sedemque Ecclesiæ adeat, quam ubi adhi-
buerit in consilium, ne ille omnem sibi evelli scru-
pulum, dubitationemque senserit, eique Divinum
adesse Spiritum planè intellexerit. Verùm quid ar-
gumentis in re tam manifesta opus est? Cum enim
suam in eo Christus Ecclesiæ fidem obligaverit;
promissis illum non stetisse putare nefas est. At pol-
licitum apertè esse sacræ testantur Litteræ: *Roga-* Jo. 14.
bo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut
maneat vobiscum in æternum. Quid quod Eccle-
siam suam tot ornamentis, iisque perpetuis Spiri-
tus ipse Divinus instruxit, atque auxit, ut jam
integrum illi non sit, quam sibi tanto studio sedem
comparavit, eamdem deserere? Tantam enim Fi-
dei integritatem, tantam virtutum conjunctionem,
quî fieri possit, ut is vehementer non diligat, *qui* Cant. 2.
pascitur inter Lilia? Liceat enim verò Ecclesiæ pa-
làm profiteri, ità se Divinum Spiritum tenuisse, Cant. 3.
atque amplexam esse, ut illum nunquam deinceps
ab se dimitteret. Atque utinam tot tantisque ra-
tionibus sibi tandem sinerent persuaderi perpetuum
Di-

381

(VIII)

Divini Spiritus Domicilium in Ecclesia constitutum esse quicumque novarum rerum studio ducti Parentis optimæ sinu sese eripuerunt, aliamque apud se Ecclesiam per summam impudentiam mentiuntur existere. Nobis quidem illud est ad hanc veritatem statuendam gravissimum argumentum; quod & Ecclesiæ Principes illos renunciat Divinus Spiritus, in quibus amet residere, & eos amat, in quibus residet.



L'AUS DEO.